UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris

Gallonio, Antonio

Mogvntiæ, 1602

Drusillam præcipiti ruina ex altißimo loco periclitantem ab interitu liberat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43172

Visual Library

læ fruſto Beati viri in eam iniecto vbi exhauſit, febris extincta eſt.

Druſillam præcipiti ruina ex altiſſimo loco periclitantem ab interitu liberat.

HOc etiam anno Septembr. vertente Druſilla Pocaria cum linteas veſtes, quas aqua mundauerat, radijs ſolis exiccandas obijceret, caſu factũ eſt, vt ex altiſſimo loco præceps ruens quamgrauiſſimè corpus offenderit: erat altitudo loci vnde exciderat, paſſuum circiter ſex & viginti: pauimentum, in quod deſcenderat, lateribus in longitudinem ſtratum vetuſtate iam temporis magna ex parte exeſum, atque conſumptum: ad vltima iam ventum eſſe teſtabantur, colliſum, fractumque caput; dexter oculus ita affectus, vt opinarentur omnes, ſi ex morbo femina euaſiſſet, quod credebatur à nemine, ab eo prorſus deſtituendam fore; iſque oculus loco ſuo non erat: Idem præterea in-

Totam rẽ ſex oculati teſtes iureiurando firmarũt, in quibus eſt chirurgus, qui feminam curabat.

dicabant nares fractæ, colliſæque, ſanguis multus, qui aſſiduè ex ore ferebatur, quique cohiberi non poterat: maxillæ nimis intumefactæ: labrum inferius ſciſſum; inter cadẽdum enim duo acceperat vulnera, vnum in labro, de quo dicimus, ad mentum, denteſque procedens: alterum in ſiniſtræ manus interiore parte, volam dicimus: dentes demũ, quod nec omittendum videtur, propter ictum mouebantur omnes, periculum erat, ne exciderent, & is erat miſeræ mulieris miſerrimus ſtatus, quæ vbi veſtigio fallente præceps ruit, pro mortua notorũ, propinquorumque manibus confeſtim ſublata, in ſuum cubiculum propere delata eſt, lectuloque confracto corpore collocata, vbi vix ſemiuiuens propter morbi vim non audiebat, non videbat, non loquebatur: iamq; fama de eius morte per vicinam ferebatur, quaſi præcipitio extincta foret.

Verùm

Verùm quo tempore id contigit Antonius Fantinus Feantinus eiusdem maritus domo aberat. Huius itaque rei tripido nuncio excitus ad sepulchrum Beati Philippi aduolat, ibi positis genibus oculos, manusque tollit in cælum, lacrymarum plenus enixè B. Patrem inuocat, votum precibus miscet, se pictam tabellam ad eius sepulchrum allaturum miraculi ad posteros monumentum, si seruet eam, quam nulla ars humana seruare possit: supplicatione deinde completa, domum venit charissimam coniugem morti proximam reperit. Interim aduocatur medicus, cui Antonio Franco nomen erat: is feminæ statum contemplatus actum mox de illa esse proclamat: desperata eius salute vulnera ne nouo dolore feminam fatigaret (quod vtique opus fuisset) nequaquam fuit; ad fissum labrum solo oui albo; ad manum verò nullo prorsus medicamento; ad

oculum emplastro, quod album lenem medici vocant, vsus est, atque his medicamentis feminæ succurrit, quòd mortuam eam crederet, sic Domino opinor, permittẽte, vt serui sui Philippi gloriã palàm faceret.

Consueuerat vir eius Beati viri sepulchrum vxoris vicẽ solicitus quotidie frequentare, ibi illius auxilium implorare, lacrymas vbertim flere; nec sua illum frustrata fides: quodã enim die eo orante Philippus moribundæ coniugi derepentè occurrit, cuius illa aduentu ingenti cõfestim lætitia perfusa, eius opem venerabũda implorat; tum ille mundum sudariolum, quod ei vsui erat, in manus sumit, ori admouet, sensim faucibus immittit, indeque paulò post sanguine, sanieq; aspersum extrahit, & hæc dum faceret; mitte, dicebat, timorem; non enim hic morbus vitam tibi hauriet. nec mora: ab eius mox capite, facieque omne vitium, omnisque ægrotatio abijt

Cæte-

Cæterùm viro eius aduentante, vt coniugem inuiseret, Beatus Pater repentè ex oculis abijt, qua ex re tristis effecta mulier, quòd sperabat omnem morbum, si ille non abijsset, depulsum iri, lacrymis se dedit: lacrymantem rogat Antonius quid sit, quod ploret; cui illa, ignoscat tibi Deus: ni venisses, omnẽ à me morbum depulisset Beatus Philippus: ex quo enim in cubiculũ ad me ingredi tentasti, ipse continuò sublimis abijt: visum enarrat, miraculum exponit: venit interim medicus, qui scissum labrum vt nullo medicamẽto consolidatum videt, inter miracula id referendum profitetur.

Feminæ deinde siniſtrum genu, quò esset illustrius miraculum, vsque eò intumuit, vt panis pergrandis magnitudinẽ expleret: id chirurgus ferramento cum aperire decerneret, quòd saniei plenum tactu sentiretur, perterrefacta mulier eam incisuram in posterum

Sanctos viros ægris fecisse medicinam auctor est, vt alios præterea,

diem differri impetrat. Itaque insequenti nocte Beatum Philippum quàm suppliciter potest, inuocat, imploratque, vt sibi opem ferat. Oranti, vigilantique se iterum offert cœlesti emicans luce: emplastrum affectæ parti impositum aufert, timorem abigit: genu ad pristinum statum reducit. Drusilla vbi eam partem persanatam videt, virum suum inclamat, illuc vt properet, eximium, illustreque miraculum visurum rogat: Deo, Beatoque Philippo gratias, quas potest maximas, refert: medico qui illucescente die ea mente accesserat, vt tumenti parti foramen faceret, ex quo sanies exiret, incide, inquit, perfora, scinde, fac quod vis, nullum mihi vitium in genu est. His ille auditis vitiosam modò partem perlustrat oculis, explorat manu, tactu, oculisque persanatam comperiens veteri miraculo nouum miraculum adiectum esse admirabundus proclamat.

Georgius monachus in Vita S. Theodori Siceotæ: nõ absimiles præterea modos in ijsdem sanandis reperies apud præclaros scriptores: vide auctorem libri de miraculis S. Stephani, qui Euodij nomine circũfertur lib. 1. c. 11. & l. 2 c. 2. item Gregorium Turon. de miraculis S. Martini li. 2 c. 31. & 41.

Tum

Tum cupida mulier exiliendi è lectulo rogat iterum B. Philippum, vt sibi subuentum esse velit. Nec de spe decedit; vigilanti namque iterũ sese obtulit videndum (tanta autem affirmabat mulier pulchritudine esse, vt nulla species ne excogitari quidem posset ornatior) eiusq; mẽbra manu prehensa extendit: à capite, scapulisq; initium facit: quo peracto ex oculis elabitur: Tum Drusilla die iam illucescente gratulabunda surgit è lecto: obortis præ gaudio lacrymis nullum B. Patri gratias agendi modum facit. Continuauit is morbus minus quàm decem dies.

Virginem Flammettam pedibus propè captam sanat.

FLammetta Nannonia (id feminæ cognomen) quintũ & quinquagesimum annum agens in itinere cum esset vehiculi cuiusdam impetu ad terrã impellitur: cũq; inde

Totam rẽ Cæsar Card. Baronius, qui ægrè confessionem olim audi-

surgere